



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-535689-p0001-8

DFG



J. N. J.

No. XXXI.

DISPUTATIONEM JURIDICAM INAUGURALEM

De

# MERCIBUS<sup>24.</sup> TRANSEUNTIBUS,<sup>16</sup> *Quas appellant V.*

Durchgehende Mahren /

DIVINA AUXILIANTE GRATIA,

Iudicatu

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS,

IN ILLUSTRI AD VIADRUM ACADEMIA,

P RÆS I D E

DECANO SPECTABILI,

DN. MARCO RHODIO, JCto,

NEC NON CODICIS JUSTINIANEI PROFES-

SORE P. ORDIN. CELEBERRIMO,

PATRONO ac PROMOTORE SUO DEVENERANDO,

Pro

Summis In Utroque Jure Honoribus

OBTINENDIS,

Die Novembr. An. 1689. Horis Ante- & Pomeridianis

IN AUDITORIO ICTORUM

Eruditorum Examini fistit


ELIAS HERMANN GREBENITZ,

Francofurt. Marchic.

Francofurti ad Oderam,

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.







## PRÆFATI.



Vantum utilitatis, atq; com-  
modi frequentia commerci-  
orum, tām mari, quām terrā,  
institutorum, toti mortaliū  
generi præstet, qvilibet facile  
intelliget, æqvā trutinaturus  
lance, sublatiis commerciis,  
fœdus universorum subla-  
tum esse hominum, *Grot.lib.*

*2. cap 2.* Quandoqvidem non duntaxat familiarita-  
tem, & societatem, verūm etiam studium negotiandi  
ambitu complectitur suō, & ad omnia conventionum  
alienationumq; genera, omnesq; omnino res, quas ho-  
mines habere, perseQUI, & Dominio suo subjicere, vel  
non subjicere possunt, refertur, *L. multum interest.*

*34 ff. de Verbor. oblig. L 55 ff. de Act. empt. & vend.*

*L. 34. §. omnium. ff. de contrah. empt. §. 4. I. de Legat.*

Digna hinc & res visa tot Jctis, qui eidem nervos suos  
intenderint, de COMMERCII & MERCATORIS eximios  
tractatus crudito orbi relinquentes. Talis *Casp. Ca-*

*A 2*

*ballin,*

PRÆFATI.

ballin, Jos. Gibalinus, Joh. Bapt. Lupus, Benvenutus  
Straccha, Sigismundus Scaccia, Joh. Marquard,  
& plures alii, qvos nominare omnes, parùm attinet.  
Cùm verò institutum horum quàm latisimè patue-  
rit, apud me decretum, particulam duntaxat unam eò  
pertinentem, videlicet de MERCIBUS TRANSEUNTIBUS,  
locô Disputationis Inauguralis, in apricum ponere. Et  
qvidem eò majori voluptate id facio, quò minori cu-  
râ materiam hanc ab aliis tractatam, frequentioris ve-  
rò usûs ferè ubiq; hodie esse, adverteram. Quâ metho-  
dô usus sim, paucorum capitum inseqventium docet  
inspectio; hæcce verò ut humanitatis regulis sit conser-  
tanea, non subtilitatis nimiæ avida, aut ultra modum  
curiosa, est, quod præcipuè in votis habeo. Simplicitas  
enim magis, qvàm scrupulositas, ubiq; placuit, sec. §. sed  
quia 7. Inst. de fideic. hered. Omnium etiam habere  
memoriam & penitus in nullo peccare, Divinitatis po-  
tiùs, quàm humanitatis est, ut jamdudum à Majoribus  
dictum refert sacratiss. Legislator in L. Tanta. 2. §. Si  
quid autem. 14. C. de vet. j. enucl. Fretus ergo hâc  
Cujusq; exoptatâ benignitate, opus ipsum aggredior,  
& Deum O. M. humillimis precibus veneror, feliciter  
id qvalecunq; vortat! atqve ex sententia animi  
succedat!

CAP.



(5)

CAPUT I.  
DE  
DEFINITIONE AC DIVISIONE  
MERCIMUM TRANSEUNTUM.

§. I.

**D**efinitionem quandam, sive *Descriptiouem & Propositio-*  
*Divisionem MERCUM TRANSEUNTUM, præ-*  
*missurus, operæ pretium judico, singula no-*  
*mina excutere, & eorum originem ac pot-*  
*statem declarare paucis, more juxta ac præ-*  
*ceptō in Jure nostrō haud infreque[n]te, pr. I. Quib. mod.*  
*re contr. obl. pr. I. de V. O. l. i. pr. ff. dej. & j. l. i. ff. d. reb. cred.*  
*& si cert. pet.*

II. Prius ergo, *Mercium* videlicet nomen, utut sim- Voc. Mercium  
plex & primitivum appareat, tamen à mercando deri- Etymologia.  
vat Marquard. de J. Mercat. & Commerc. lib. 2. c. 7. num. 4.  
Verbum autem, *mercari*, etsi simpliciter pro cō, quod  
est emere, accipitur veluti in l. 7. §. final. ff. de Curat. fu- Quid mercari  
rios. & aliis extra minor. dand. Alciat. Comment. in l. 66. ff.  
de verbor. propriè tamen *mercari*, est negotiari vel nun-  
dinari, Goedd. Comment. ad l. 66. d. num. 3. in fin. de verbor.  
signif.

III. Latior vocabuli usus complectitur, quicquid voc. Mercium  
pretiō æstimatur, arg. §. 2. I. de Empt. & vend. l. i. §. 1. ff. de Homonymia.  
Tributor. act. l. i. ff. de rer. permūt. Sic omnia esculenta,  
medicamenta, aromata, butyrum, caseus, frumentum,  
oleum, vinum, scyphi, l. fin. ff. de Triticar. condit. Gem-  
mæ, Margaritz, l. 2. §. 2. ff. d. l. Rhod. de fact. Vestis serica  
& subserica, vel attincta, folium Barbaricum, pelles Par-

6 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

thicæ, ebur, ferrum, chalybs, carbasus, lana, fucus, capilli Indici, Pardi, & Leopardi, & similia, mercium nomine venire possunt, *l. fin. §. species. 7. ff. de Publican.* & *Vestigal.* si non aliter considerentur, quam quod emi, vendi, & pretiō aestimari queant. Quod adeò verum, ut etiam Artifices, qui rem à se in aliam formam elaboratam vendunt, veluti Cerdones, Fabri, Pelliones, Sutores, Textores, Sarcinatores, Fullones, Barctearii, & omnes Venalitiarii merces suas habere dicantur, *arg. l. i. §. 1. ff. de Tribut. act.* Huncce in modum fundus immò, licet res sit immobilis, mercium nomine tamen continetur, *l. i. ff. de contrah. empt.* & *l. i. ff. de rer. perm.*

Extensio.

Usus latiss.

Strictior sive proprius.

IV. Adhuc latior, immò latissimus vocabuli, Mercium, usus se offert, cum tritō sermone, quicquid generi vitæ alicujus, aut ejusdem professioni congruum, ut inde necessaria ipsi suppetant, includit. Sic de cujusque arte ipsâ, adquisitâ scientiâ, aut peritiâ, unde Statum in Societate humanâ capit, vulgò prædicatur: Das sind seine Wahren / nempe respectivè ad officium Mercatoris, qui merces suas in pretiō habet, ut inde lucrum faciat, & statui suo convenientia teneat præsidia, *arg. pr.* & *§. 1. I. de Societ. ubi Dd. comm. it. l. 1. C. de Commerc.* & Merc. Sic convertitur hoc quandoque respectivè ad aliam vitæ conditionem, v.g. rusticam, unde primus omnium vietus, quo Agricola maximè instruitur, ubi vulgò dicitur: das ist seine Ege und Pflug. Sed hoc quasi tantùm in transcurso, unde jam ad usum strictiorem & magis proprium exponendum regredior.

V. Enimverò hunc quod attinet, appellatio Mercium, ad res mobiles tantùm pertinet, *l. Mercis 66. ff. de V.S.* & ne quidem ad omnes indistinctè, quas in contractum deducendi jus est, sed eas duntaxat, quas à Mercatoribus com-



## MERCIMUM TRANSEUNTIUM.

comparatæ sunt, negotiandi quæstusve faciendi gratiâ,  
ut iterum eas justò pretiô distrahant, arg. l. Mercis. 207. ff.  
cod. junct. pr. I. de Societ. it. l. I. ff. de rer. permut. Goedd. ad  
d. l. 66. ff. de V. S. n. 3. Et 6. it. Jac. Thoming. Conf. 24. n. 15.

19

VI. Mancipia itaq; hominésve vernas à propriô <sup>excludit Man</sup>  
hôc Mercium significatu secludi, patet, d. l. Mercis. 207. ff. <sup>cipia.</sup>  
de V. S. Mangones enim & Venalitiarios omnes, qui e-  
mendis, vendendis, aut permutandis iis intenti sunt, non  
Mercatores appellamus. Ut ut non negem, servos, quos  
ideo quis comparavit, ut illico distraheret, mercium locô  
vulgò haberi, l. Suos. a. 73. ff. de Leg. 3. Conf. Wissenb. ad d. l.  
207. ff. de V. S. it. ad l. 118. §. 1. ff. de V. S.

VII. Eodem modô de Equis & eorum Venditori-  
bus ex professô, quos passim Pferde-Händler / Rostau-  
scher/appellari, moris est, judico; nempe nec illos Mer-  
cium propriô significatu contineri, cùm nec hos Merca-  
torum censu haberi, constet: Sed Mangones & Venali-  
tiarii appellantur. Mancipiorum enim & Equorum fi-  
ve jumentorum ferè eadem ratio, l. Aediles. 38. §. Et fere.  
3. ff. d. Aedil. Ed. it. arg. pr. I. de Leg. Aquil. Et Mangones  
dicit in genere, so die eigene Leute vorzeisen aufzustellen/  
und sie auf den Rauff frey aufzumüchten und zierten/wie jetzt  
dann auch die Rostäuscher mit den Pferden thun/ Fris. in  
Lexicogr. voc. Mango. De imposturis & fallaciis eorum  
conf. Erasm. in Colloq. Hippoplani.

Equos;

VIII. Porrò qui gemmas, ut pluris revendant, ex- Gemmas.  
pediunt, etiam Mangones audiunt, sec. Plin. l. 37. c. 13. Goed.  
ad supr. d. l. 66. ff. d. V. S. n. 2. Ergo nec cædem mercium  
nuncupatione gaudent, arg. d. l. 207. ff. d. V. S. junct. arg.  
l. Si idem. 7. C. d. jur. Cod. Maximè cùm earum nego-  
tiationi addicti & vernac. sermone dicantur, non Kauf-  
leute / sed Jubilierer.

IX.



8 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

Objectio.

IX. Id qvod argumentum in simili casu & arridet quidem Job. Marqvardo d. Jur. Mercat. L. 1. c. 7. n. 13. Gemmas tamen, Margaritas, annulos, qvos Mercatores negotiotionis causâ transferunt, *Merces* esse, dicit d. tr. L. 2. c. 1. n. 17. motus, ut videtur, locô Ezech. 27. v. 22. Melius meô quidem judiciô, usus fuisset l. 2. §. 2. ibi: *velut gemmas, Margaritas.* ff. ad L. Rhod. d. jact. secundum Strach. de Mercat. p. 1. n. 76. in fin. & n. 77. Ubi tamen parum vel nihil potius contra nos in recessu est.

Quid de pecunia numerata?

X. De pecuniâ signata, quæ & numerata dicitur, §. 2. f. d. empt. vend. Germ. bahr *Geld/ Speid.* in Lex. Jurid. voc. *Geld &c.* inter JCtos ardua quæstio est, an Mercium numerô habeatur, in speciali hōc & propriô earundem significatu? Affirmativam acrius propugnat ac defendit Strach, d. l. n. 75. & 76. Quam & sequitur Marquard. d. f. Mercat. L. 2. c. 1. n. 14. & seqq. Adeò, ut si navis vel currus, ratione Mercium prohibitarum, confiscationi declaretur obnoxius, etiam pecunia in navi vel curru inveuta similiter in fiscum referenda afferatur, arg. l. 66. ff. d. V. S. & l. si chorus 79. §. 1. ff. d. leg. 3. Ut ergo natus autoritate Bald. in l. Cūm proponas. C. d. naut. fæn n. 3:

Negatur ob Rat. 1.

XI. Verum negativa, ut juri & moribus consenteant magis, ita & calculum meum facile habet, & quidem ob momenta seqq. 1. Quod descriptio Mercium supr. §. 5. in fin. tradita pecuniæ huic non conveniat, ut quæ justo pretio non distrahi potest à Mercatoribus. Est enim ipsa pretium omnium, quæ in emptionem venditionem deducuntur, & Mercibus opponitur, l. 1. ff. d. Rer. perm. & §. 2. f. d. Empt. vend. Quod si autem in hōc comparata, ut permittetur cum aliâ pecuniâ, contractu v. g. cambiali inito, non sit hoc ab ipsis, ut Mercatoribus: Sed eō casu Campores appellantur vulgo,



## MERCIMUM TRANSEUNTIUM.

20

vulgò, Wechslere. Conf. *Bode de Camb.* th. 1. it. Schaffs-<sup>9</sup>  
hausen *de Camb.* v. Wechsel/ und Wechsel-Brieffe / th. 2. in  
*Exeg.* Dum autem voce distingvuntur, re ipsâ quoq;  
non conveniunt, arg. d.l. 207. ff. *de V.S.* §. 5. l. quib. mod.  
test. inf. & l. 7. c. *de jur. Cod.* Idem tamen etiam, si in  
vitium incident probæ monetæ cum viliori commu-  
tandæ, ut hinc rem quæstumq; aliquem faciant, speci-  
aliori appellatione, der Kipper und Wipper/pasim indi-  
gitantur, de qvibus hic agendi locus non est. Vid.  
*Schaffhausen d.th. 2. vers. Cœterum.* it. *Carpz. in Pr. Crim.*  
p. 2. q. 92. n. 39. & seqq.

XII. 2. Quòd pecuniæ nomine in genere res Ratio 2.  
quidem omnes, tam soli, quam mobiles, tam corpora,  
quam jura comprehendantur, l. 127. ff. *de V.S.* at signa-  
ta ea si fuerit, & concipiatur in nummis, saltim com-  
muni usu loqvendi, ex quo nomina debent exaudiri,  
l. 7. §. 2. ff. *de Suppell. leg.* in numerō *mercium* non habeat-  
tur, Marquard. d. tr. l. 2. cap. 12. n. 39. sed ab iis maximè  
distingvatur, imò hisce ut plurimum opponatur, §. 33.  
us. *Quæ utilitas.* it. vers. Sed & pecunia. I. *de Action.* Hinc  
enim & Mercatorum illæ creberrimæ voces: Sie ha-  
ben oder nehmen nur Geld an/ keine Wahren; It. Sie müs-  
sen nur lauter contant, oder bahr Geld an diese oder jene  
Derther schicken; Vor Wahren sey nichts zu bekommen.  
Unde de negativâ nostrâ quis amplius dubitet?

XIII. Cui, ne singularis forte cui videatur, & pro-  
lixè inhæret, post alios, Jacob Thoming. *Conf.* 24. n. 15. Thoming.  
& seqq. Ubi tandem n. 23. JCti Bald. ne quis ejus au- Bald. auctori-  
thoritate in transversum ducatur, mentem explicat,  
scil. eam, cùm, nave ob illicitas *Merces* publicatâ, pecu-  
niā in eâ repertam etiam confiscatam asseruit, ex-  
audiendam de *Pecunia* in specie, qua ad illicitarum  
merci-

B



10 CAP. I. DEDEFINIT. AC DIVIS.

mercium comparationem destinata. De cœterō ergo si quæ prohibitio contra communem Negotiationum libertatem, si qvæ concessio aut statutum singulare de Mercibus in genere prodierit, ad *Merces* tantum propriè dictas, non alias res, qvæ earum strictiore significatu non continentur, adeoq; nec ad *Mancipia*, nec *Equis*, nec *gemmas*, nec *pecuniam numeratam*, qvamvis & negocandi causâ comparata sint, vires suas extendit, per c. *Odia. 15. X. d. R. f. in 6. §. 6. f. d. f. N. G. & C. L.* Qvod non ratione. 39. ff. d. *Leg. l. 68. & l. In toto. 80. ff. d. R. f. ibid. Ludiv. n. 2. & seqq.*

Consectarii.

XIV. Fluit simul ex iis, qvæ de naturâ *Mercium* ita in apricum posita i. Qvod *Merces* etiam in tabernis extantes pro mobilibus habendæ, indeq; *Maritus* superstes, uxore defunctâ, meritò eas, ut hæres, lucretur, d. l. 66. ff. d. R. f. Sec. *Modestin. Pistor. 1. Conf. 31. n. 53. Carpz. in f. F. p. 3. C. 24. d. 9.* Ubi, qvæstionem istam inter Lipsienses & Wittebergenenses diu multumq; agitatam, sic tandem authoritate publica decisam fuisse, attestatur.

Consectarii 2.

XV. 2. Qvod, si eum Emptore hæreditatis transfigam, ut *Merces* inemptæ sint; vel, si judicatum, ut *merces* redhibeantur, cùm fortè sint vinum, frumentum, oleum, & simul fundi; vel, si lata sententia, ut *merx* servi mei peculiaris, qui etiam fundos tenuit, inter me & Creditores ipsius tribuerentur; fundi habeantur empti, nec redhibitionis sententiâ, nec eâ de tributione *Mercium* contineantur, Sec. *Gædd. ad d. l. 66. ff. d. V. S. n. 1. & 2.*

Consectarii 3.

XVI. 3. Qvod, licet res illæ omnes, qvæ supr. §. III. enumeratæ, & plures aliæ, sint aptæ, ut numero *Mercium* censeantur, si tamen ab Arcificibus tra-

## MERCIMUM TRANSEUNTIUM.

II

21

tractentur, ut eas in formas alias vertant, & ita demum distrahant, vel etiam ab ipsis *Mercatoribus* teneantur, non animo negociandi, nec, ut eas iterum distrahant, faciendi qvæstūs gratiā, sed in proprios, vel Amicorum, usus transferant, in universum *Merces* non sint, per ea, qvæ s. it. c. *Ejiciens. II. vers. Sed omnes dist. 88. fac. Thoming. Conf. 24. n. 17. & 18. & Marq. d. j. Mercat. L. 1. c. 7. n. 52. & seqq.*

XVII. Qvamvis non negem, nomen *mercium*. Limitatio.  
qvandoqve hosce angustiores significatus sui terminos egredi, videl. ubi verba Legis aut Constitutionis alicujus, vel usus loqvendi communis illum per se extendit. Sic in *Tit. von allerhand Kauffmanschafften/ Gütern &c. agitur etiam von Touwelen; In der Churfürstl. Brandenb. General-Steur- und Consumptions-Ordnung cap. 5. pr.* Ubi porrò & *Eqvi merces*, & eorum *Venditores Mercatores* appellantur, verb: Wann ein einheimischer Kauffmann mit Ausländisch- oder Inländisch Vieh und Pferden Handlung treibet/ und solches in- oder ausserhalb Landes verkauffet/ gibt er/wo er sesshaft re. Verùm hæc & similia pertinent ad latiorem Voc. *Mercium*, de qvo jam supr. §. 3. & 4. ut & *Mercatorum*, usum. De qvo ubi ubi liqvidò constat, & omnia extra dubium posita sunt, ulteriori illius examine qvisque meritò abstinet, l. 25. §. 1. ff. de *Leg. 3. it. l. 137. §. 2. in fin. ff. d. V. O.*

XVIII. Dicuntur aliàs res aut bona *Mercatorum*, *Mercium*, *Conf. l. Bonorum. 49. ff. d. V. S.* Nostrò idiomate, *Kauffmanns*-*Gütere*/ *Kauffmanns*-*Wahren*/ *Effecten* &c. Synonymia. Uno autem complexu, *Wahren*/ scil. passim veluti judicatur, à *Wahren*/ qvod idem est, ac dauren / ut simul denotari videatur, *Mercium* numerò propriè eas

B 2

res

12 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

Consecrāt.

res *Mercatorum*, qvæ aliquo modo durent, atq; ad tempus, sicuti opus, in meliora commoda asservari queant. Unde seqvitur è vestigio, eos, qvi res facile aut mox ex suâ naturâ perituras emunt vendunt lucifaciendi studiô, poma v. g. pira, aliaq; brevium temporum tractant, neq; ve propriè *Merces* tenere, neq; *Mercatorum* nomen decusque mereri, cùm ubi nomen difforme, aut rei verè non competit, hæc ipsa res quoq; videatur deficere, §. s. sed quia. f. Qvib. mod. test. inf. & l. 7. C. d. f. Codicill.

Argumentum  
addatur.

Mercium pa-  
tronum.

XIX. Qvanquam nobis hîc sufficere posse, eos, qvi tam vilibus rebus emendis vendendisq; occupantur, speciale nomen sortiri à *Mercatoribus* omnino distinctum, cùm scil. appellantur vulgo propriè, *revenditores*, Germ. *Worlauffere*/*Apffelkrämer*/*Höckler*/ oder *Höckler &c.* *Klock. d. Erar.* l. 2. c. 25. n. fin. Conf. l. c. 2. Unde & argumentum, qvò supra usi, ratione mancipiorum, Eqvorum &c. ad excludendum has Negotiatorum occupationes à propriâ appellatione *Mercium*, & ipsos simul à verâ appellatione *Mercatorum*, huc simul quadrare, nemo inficias ibit.

XX. A *Mercibus* porro appellantur non tantum *Mercatores*, de qvib. seq. cap. sed & *Mercuriales*, ut passim audiunt, scil. qvi *Mercibus*, faciendi qvæstūs ergo, intenti videntur, à *Mercuriō*, Gentilium judiciō, fauteure ac Patronō summo ordinis, & ingenii *Mercatorum*; item *Mercates*, ut uxores, expugnatō pudore, infames, seu Meretrices, qvæ improbum corporis sui usum, ut alii *Merces*, venum qvæsi publicè exponunt, sec. Alber. in C. d. cond. ob turp. cauf. Spiegel. in Lexic. Jurid. Civ. voc. *Mercat.* Ut & *Mercimonia*, qvæ sunt ipsæ *Mercium* contrectationes, vel mercandi actus, & *Mercatus*, loca eò



## MERCIMUM TRANSEUNTUM.

13

22

eo publicâ authoritate destinata, ut singularibus com-

mercandi privilegiis gaudent.

XXI. Qvaleſ Mercatus qvomodo à Nundinis dif. Quæſtiq.  
ferant, vid. *Dd. commun. ad rubr. & l. un. C. d. Nund. &*  
*Mercat. ibiꝝ, præcæt. Ant. Perez. n. 1.* Sed hæc & alia in  
censum hunc pertinentia majori copiâ adjicere, ferè  
figet.

XXII. Ad posterius ergo nomen thematis mei, *Voc. Trans-*  
fine circuitu ampliore, modò convertor, nempe *Tran-*  
*seuntium.* Hoc autem si à *transendo* derivare, & pro-  
lixè eo in passu coner illustrare, facilè qvis objecerit,  
immorari me tritis, & satis per se cognitis.

XXIII. Sufficiat, meminisse paucis, verbum *Uſus propius,*  
*Transire*, & hinc derivatum nomen *Transiens*, vel *Tran-*  
*seuntium*, propriè de rebus animatis, sive rationalibus,  
sive brutis prædicari, qvæ vel sponte suâ, vel aliorum  
authoritate, & impulsu, ex uno loco in aliud fere  
promovent. Pertinent huc maximè peregrinantes,  
& in specie Milites, qui excitantur aliquando in re-  
motiorem hostem, adeoq; opus habent, interjacen-  
tes aliorum provincias *transire*.

XXIV. Qui *Transitus*, si innoxius fuerit, haud ul- *Transitus mi-*  
li Principum, qvorum signa gerunt, denegandus, *litum.*  
*Nov. 130. c. 1.* qvin justa belli causa suppeditetur, Nu-  
mer. 20. & 21. *Grot. d. J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 13.* Idem tamen  
& usu juris publici per modum servitutis constitui  
potest, ut exemplis multorum territoriorum compro-  
bari posse, docet *Illustr. Dn. de Rhetz in Inst. Jur. Publ. 2.*  
*Tit. 28. §. 1.*

XXV. Pertinent & huc Eqvi, boves, aliaq; ju- *Brutorum.*  
menta vel armenta ex aliâ in alias Provincias *trans-*  
*euntia.* Et licet motu pedum velex parte vel omnino

B 3

haud

14 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

haud ita utantur, sed transvehantur, v. g. Homines curru, trahis, vel, ut cœtera, navi, similibusve instrumentis, *transire* tamen, utut impropriè, dicuntur, ut de Eqvis per Isthmum Syriacum ex terrâ Ægyptiacâ in ulteriores regiones vectis, prudentissimi Regum, Salomonis, tempore, idem prædicat *Grot. supr. d. l. §. 13.*

Uſus Impro-  
prius, jurium,  
&c.

Mercium.

Liberatio ejus  
ab ambig. 1.

XXVI. Impropriè etiam nomen *Transeuntis*, vel *Transeuntium* tribuitur juribus aliisq; rebus inanimatis, v. gr. *Actioni Rubr. & §. 1. in fin. Inst. d. perp. & temp. Act. & qvæ in hæred. it. l. 43. ff. ad L. Aqvil. it. l. Exceptio, 9. §. Julianus. 2. verb. à personâ auctoris ad Emptorem *transire* solere. ff. d. Excep. rei jud. Conditioni etiam siue pacto l. 54. §. fin. ff. d. *Eviction*. Et cujuscunq; generis mercibus, qvæ naturâ suâ vix in rebus animatis consistunt, per ea, qvæ paulò antè, *Grot. d. J. B. & P. l. 2. c. 2. n. 13. & 14.* Unde improprius quidem, attamen maximè usitatus nominis, *Transeuntum*, significatus huc spectat.*

XXVII. Isq; aliq; vando ita in genere compratus, ut denotet duntaxat respectum motûs à terminô, ut dici solet, à qvo, è vestigiô, ad terminum, ad qvem, v. g. ubi non est aliq; vid loci intermedii : Sed hîc præsertim ad locum intermedium simul respicitur, ut dictio *Trans* idem inferat, qvod per, ultra. *Conf. Cardin. Tuscb. lit. P. Concl. 358.*

XXVIII. Multò minus commercii qvicqvam nobiscum jam habet nomen, *Transeuntum*, qvatenuis hoc res vel particulas includit, qvas vel præterimus, vel penitus non curamus, ut exempla id genus habet, l. 39. ff. d. minor. l. s. §. *Quod si. ff. d. Pref. urb. & l. s. §. l. C. d. temp. in int. restit. Gædd. in Med. Jurid. verb. Transire.*

XXIX.



## MERCIMUM TRANSEUNTUM.

15

23

XXIX. Nimirum *Transeuntia* vel res *Transeun. Declaratio.*  
res nobis sunt, quas idiomate nostrô dicimus, durch-  
oder weitergehende/ ut veniant re verâ ab extra, & va-  
dant ultra: Veluti hôc modô dilucidè idem propo-  
nere satagit, *Card. Tus. d. Concl. 358. n. 1.*

XXX. Sunt itaque nobis *Merces Transeuntes*, Merciū trans-  
eunt descri-  
ptio nomina-  
lis.  
quæ missæ ex uno loco per alium in quendam remo-  
tiorem. Quomodo cunctæ missæ, ductæ, actæ, tractæ =  
que sint, curru, navi, vehiculô, terrâ, Mari, flumine,  
indistinctè sunt & dicuntur *Transeuntes*; Germ. durch-  
gehende Wahren / Rauffmanns-Güter / Materialien / it.  
Wahren / so einer lässt durch die Stadt / wo er wohnet /  
oder durch andere Heerstrassen vorbey- oder in andere Län-  
der gehen / Churfürstl. Brandenb. General- Steur-  
und Consumpt. Ordnung c. 4. vers. Ein Grosshändler.  
Vel etiam, aus der Fremde kommende und wieder in  
fremde Provinzien gehende Güter / Churfürstl. Bran-  
denb. Accise, Const. d. 19. April 1681 §. 4. Contracte vulgo  
appellantur Durchgang/ ut & habet Churfürstl. Bran-  
denb. Accis. - Const. d. 17. Febr. 1668. §. 10. verb. Da einiges  
als Durchgang/ althie niedergeleget würden &c. It. In  
denen Anmerckungen über die Churfürstl. Brandenb.  
General- Steur- und Consumpt. Ordnung c. s. §. 4. verb.  
Daferne aus andern ausswärtigen Städten und Provin-  
cen kommende Güter / als ein Durchgang niedergeleget  
würden &c.

XXXI. Definitio quædam, vel plenior Merci- Realis defini-  
um Transeuntum descriptio hæc esto: Sunt bona  
mobilia, quæ à Mercatoribus ex unâ Provinciâ  
per aliam in quandam remotiorem, negotian-  
di & lucrificandi gratiâ, mittuntur, erg. l. sup. d.

66.

16 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

I. 66. & l. 207. ibi: Mangones, non Mercatores, sed Venalitiarios appellari, Mela ait: ff. d. V. S. it. l. Generalius, 32. §. 2. ibi: Mercis causâ comparata. ff. d. Us. & Usufr. Marquard. d. f. Mercat. & Commerc. l. 2. c. 1. n. 13.

Expositio no-  
minis, provin-  
ciae.

XXXII. Dico non, ex uno loco, sed ex una provinciâ per aliam &c. cum, si loci duntaxat meminerim, cavillandi occasio fortè præbita, quæ omnino vitanda, arg. §. 6. & 7. f. d. Nupt. Diversa autem provincia supponitur, tam ratione termini, à quo, quam, ad quem, juxta ac, Per quem, arg. l. fin. C. d. præscr. long. temp. 10. vel 20. ann. Ubi quæ unâ in provinciâ sunt personæ, quamvis in diversâ illius Civitate, habentur, ut praesentes. Hinc enim & bona Mercatorum, quæ, ut Transcuntes Merces, considerantur, quamvis ex Civitate unius Provinciæ in Civitatem aliam ejusdem Provinciæ deferantur, manere tamen potius, quam transire intelliguntur. Qvod procul dubio quoque movit Sereniss. Constituentem in paulò antè adductis, ad majorem nom. Mercium Transcuntium evolutionem, ut semper meminerit, anderer oder frembder Lander und Provincien. Diversa autem regio vel provincia habetur, quæ diversi nominis & juris, ut ut unius Principis est.

Cum modo.

Merces ingre-  
dientes.

XXXIII. Quamvis non negem, si quæ civitas vel loca alia unius regionis vel provinciæ sint, quæ intuitu Mercium per fines quorumlibet traductarum, peculiari jure suo gaudent, has Merces suò modò etiam pro Transcuntibus haberi, Conf. Anmerkungen über die Churfürstl. Brandenb. General-Steur und Cons. Ordn. c. 5. §. 12. In censum tamen earum proprium haud referuntur. Quæ enim ea aliâ provinciâ in aliam vicinam mittuntur, ita, ut hujus civitatem unam atque



## MERCIMUM TRANSEUNTUM.

17

24

atque alteram quidem *transeant*, in remotiore tamen aliquo ejusdem loco persistant, & distrahantur, *Ingre-*  
*dientes Merces*: sicut quae v.g. ex provinciâ hâc nostrâ,  
ubi fortè natæ vel aliò modô paratae sunt, *Merces*, in  
aliam provinciam devehuntur, quamvis non paucas  
civitates vel loca Marchica attigerint, *Egredientes*, aut  
nostrô sermone, illæ, *Eingehende* hæ *Ausgehende Wahr-*  
*ren* & contrâctè quidem stylô Mercatorio, iterum, il-  
læ, der *Eingang*/hæ verò der *Ausgang*/appellari suev-  
runt. Quæ quomodo differant à *Transeuntibus*, per  
se ferè patet, cùm scil. præterquam quod ingredian-  
tur, simul reqviratur, ut egrediantur, & sic respectu  
Provinciæ, cuius fines aliunde ingressæ, & ulterius  
mittuntur, re vera *transeunt*.

XXXIV. Præterea hæ *Merces* dum ita *transeunt*, *Expositio ver-*  
vel à Mercatoribus, ut innui, mittuntur, motum qui-  
dem significant, is tamen civiliter intelligendus, ut vi-  
delicet exigui temporis remora vel quies in loco pro-  
vinciâve intermedia naturæ earum proprioque effe-  
ctui nihil deroget, arg. §.2. I. de V. O. l. 105. ff. de Solut. it.  
l. cui jurisdic̄. 2. ff. de jurisd. sic & bannitus, cui debe-  
tur transitus, *transeundo* potest hospitari, qviescere,  
dormire, imò demorari per 4. dies, Card. Tusch. lit. F.  
Concl. pract. 360. n. 1. Nisi jussus fuerit, sine intermissio-  
ne transitum suum maturare, arg. l. 34. ff. de R. f. it. §. 2.  
in fin. I. de his, qui sui vel al. j. ubi Dd. commun.

XXXV. Enimverò hîc singulari Edictô cau-  
tum, ut depositio *Mercium Transeuntum*, ein Ablager ad  
usq; 4. non dies, sed integras hebdomadas, non offi-  
ciat, quin adhuc immunitatis suæ jure fruantur, verb.  
Mit angeführter fernerer declaration, daß wann ein Gros-  
sierer von einer quanrität frembder Wahren innerhalb

C

vier



## 18 CAP. I. DE DEFINIT. AC DIVIS.

vier Wochen nach deren Einliefferung in ganzen Bassen/  
Stücken und Fässern in einer Parthen an andere Krähmer  
und Höchker in Franckfurt oder andern Churfl. Städten  
verkauffet / und das übrige innerhalb solchen Termin an  
fremde Herther verführen lässt/ derselbe davon ohne Un-  
terscheid gleichfalls nur 1. pro cent, von dem aber / so er län-  
ger im Lager behält/er verkauffe solches inn- oder ausserhalb  
Landes / 2. pro cent der Accise - Cassen entrichten solle / &c.  
Constit. Ser. Elect. Brandenb. d. 19. April. 1681. §. Seine  
Churfl. Durchl. 4. Cætera, quæ ad meliorem declara-  
tionem definitionis jamjam propositæ videntur ad-  
huc spectare , commodiùs ī. & quidem seorsim a-  
gentur.

Divisio.

Præcipua.

XXXVI. Divisionem vero jam Mercium Transe-  
untium quod attinet, qvatenus Merces ex se materia-  
liter aliquam recipiunt , etiam illæ , quas Transeuntes  
nuncupamus, seqvuntur. Conf. Eberh. in Loc. arg. legal. 6.  
n. 2. Multiplex quidem ea esse possit, at æquivoci po-  
tiùs in sua æquivocata, quam Generis in species.

XXXVII. Præcipua in hac facile , nec sine insi-  
gniore usu est, quâ aliæ per Aversionem, vel universali-  
ter , l. 4. §. 1. & 2. ff. de peric. & comm. rei vend. it. l. 62. §. ult.  
ff. de contr. empt. Rauchbar. p. 1. qu. 21. n. 6. Aliæ non ita,  
sed pondus quidem, numerum, mensuram , l. 35. §. 5. ff.  
de contr. empt. iterum autem vel majori in quantitate,  
Italis in grosso , v. g. ad libras listaticas, nauticas , ad nu-  
merum vel pondus centenarium, millenarium , ad la-  
stas &c. vel minutatim ad libras vulgares, corylas, lage-  
nas, amphoras, quartarios, ulnas &c. distractæ, vel dis-  
trahendæ transiunt , Carpz. 2. Resp. 25. n. 1. it. Tenele in  
Disp. Inaug. de Vend. per overs. præf. it. c. 2. th. 2. 3. & 17.

38. Quæ

XXXVIII. Quæ posteriores tamen, minutæ scil. Observatio.  
rerum venalitiarum quidem, vix *Mercium* autem no-  
mine dignæ, cùm nec *Mercatores* inde, sed Propolæ  
tantūm & Revenditores, Höhfer/Verkäffere/Landfrā-  
mer/appellentur, quos jam super attigi. Interim hæc  
de Naturâ *Mercium Transeuntium*, in genere tradita,  
sufficient. Seqvitur

CAPUT II.  
DE CAUSA EFFICIENTE MER-  
CIUM TRANSEUNTIUM.

## I.

**E**fficiens causa *Mercium*, de qvibus ago, proxima Causa duplex.  
alia, alia remotior non incommode appellari pos-  
se videtur. Illam *Mercatores*, hanc Principes,  
vel Rerump. Moderatores alii, penes quos ἡ κύρσον in  
Civitate aliquâ est, constituunt, arg. eor. qua Dd. supr. c.  
1. S. s. 6. & seqq. junct. arg. n. C. qua res ven. non poss. & qua  
res export. non deb. Add. Conring. Dissert. de Export. &  
Import. th. 22. & 23.

II. CAUSAM PROXIMAM, *Mercatores*, scil. quod at- Proxima Mer-  
tinet, unde hi dicantur, satis jam pari modô constat ex catores.  
præced. c. I. §. 20. Germ. appellantur passim Rauffleute/  
aliquando juncto & alio vocabulô, nempe Rauff- und  
Handelsleute / cùm & *Mercatores* & *Negotiatores*, quo-  
rum illi propriè alias Rauff. hi verò Handels-leute di-  
cantur, nonnunquam promiscuè accipientur, l. i. C. de  
Commerc. & Mercat. Vid. Georg. Wahr in app. Dissert. de  
Rescr. Mercat. it. Speidel. in Lexic. Jur. voc. Rauffmann/  
Krähmer/ &c.

C2

III. De

20 CAP. II. DE CAUSA EFFICIENTE

A Negotiato-  
rib⁹ differunt. III. De cœterō autem *Mercatorum* nomen stri-  
ctiore significatu continetur, quàm *Negotiatorum*, arg.  
*l. i. §. i. ibi: ad omnes negotiations. ff. de Trib. act.* Illi e-  
nīm Mercibus propriè dictis, hi &, qui aliis rebus à  
se coëmptis ita lucrificiendi gratiā intenti sunt, ut has  
in aliam formam versas vendant, Speidel. *dict. loc.*  
*fol. 657.*

Reqvist. eorū  
potiss.

IV. Sive autem *Mercatores*, sive *Negotiatores* fue-  
rint reāpse in exercitiō, & quidem, faciendi quæstūs  
gratiā, ut sint, oportet, si juribus ordini suo compe-  
tentibus frui gaudeant, *l. Semper s. §. 3. ibi: Quamdiu in*  
*eiusmodi actu sunt. it. §. Negotiatio. 8. ff. de jur. immunit.*  
*Bartol. ad d. l. i. ff. d. Trib. act. it. Mev. ad Jus Lubec. l. 3.*  
*T. 6. art. 21. n. 12. ubi lucrum unicum fundamentum Merca-*  
*tur & appellatur, & n. 14.*

Consectar. I.

V. Fluit hinc suā sponte, *Mercatores* nec esse, qui  
unicum *Mercatoris* actum fecerē, cùm nempe artis li-  
citæ & non prohibitæ *Mercatorum* officium sit, quod  
continuatum per plures actus reqvirit exercitium,  
Cardin. Tusch. *lit. M. Pract. j. concl. 209. n. 1. & 10.*

Expositio.

VI. Hinc Lex vel Statutum pœnam *Mercatori-  
bus*, qui extra territorium victum ex causā *Mercantia*  
conduxere, determinans, non habet locum in eō, qui  
semel conduxit, utut ad vendendum, sec. Bald. *Conf.*  
*495. in princ. & al. Tusch. lit. M. concl. 209. n. 2.* Ex quo  
& Constitutiones certam gabellam ex *Mercantiis*, von  
allerhand Rauffmannschafften/Gütern und Wahren/&c.  
requirentes, interpretationem recipiunt, ut videlicet  
solos *Mercatores* aut *Venalitios*, non, qui alio titulō ejus-  
modi res distrahabunt, videantur tangere.

Hujus limitat.

VII. Nisi fortè ipse verborum tenor ad quosvis  
emptores venditorésve se explicitè referat, aut rece-  
ptior

## MERCIMUM TRANSEUNTIUM.

21

26

ptior consuetudo aliud doceat, ceu optima legum interpres, arg. l. Prospexit. 12. §. 1. ff. Qui & à quib. man. & l. Si de interpretatione. 37. ff. de Legib. conf. die Churfl. Brandenb. Accis. D. it. Revidirte Accis. D. in denen Residenz. St. tit. s. von allerhand Kauffmannschafften.

VIII. Seqvitur ex eodem principio, *Mercatores* Consectar. 21 aut *Negotiatores* neque esse indistincte, qvires emunt, vendunt, sed qui lucrifaciendi causâ hōc animô eas comparant, ut rursus distrahant, importent, exportent venum, arg. l. 203. ibi: *Omnes servos, quos quisque emisset, ut ipse haberet* ff. de V. S. Card. Tusch. pract. concl. l. lit. M. 209. n. 9. Gœedd. ad l. 66. n. 6.

IX. Hinc qui venum exponunt granum, vinum, Expositio. oleum, aliaq; in fundis suis nascentia, non statim mercari vel negotiari dicuntur, Tusch. d. lit. M. concl. 204. n. 3. Et Clerici, qui exemptione aliquâ vel immunitate gaudent ratione bonorum suorum, eâdem gaudent, licet vinum aut fructus suos vendant, sec. Abb. Conf. 6. in fin. l. l. Id. ibid. Nec enim omnes, qui emunt, vendunt, negotiantur. Sed qui hinc sua captant emolumenta.

X. Iniqui igitur nimis illi rerum censores, qui, Ulterior. dum cernunt, non *Mercatorem*, aut civium communibus privilegiis alias haud fruentem, ejusmodi res, vel & quas emit quidem pretiô, aut mercede datâ comparavit, sed usui deinceps non futuras judicat, aut etiam citô perdituras, aliis vendere, id propter erumpunt in querelas. V. gr. Titius panni aliquid, se familiamq; ut hōc vestiret, comparavit, reliquum vendidit. Aut quandam cerevisiæ copiam pro necessitate domestica coqui fecit, ejus fecem aut loram, cum ipsi non proficiat, vel etiam partem melioris cerevi-

C 3

siæ,

22 CAP. II. DE CAUSA EFFICIENTE

siæ, quod acorem cœperit contrahere, accepto qualunque pretio, distrahit. Cùm Titius ex Mercatorum, aut Cerevisiariorum numerò haud sit, isti huic multum præjudicii eō modō inferri clamitant: Es geschehe der bürgerlichen Nahrung solcher Gestalt ein Eintrag/quod non ferendum. Enimvero cùm lucri & quæstus faciendi ratio hīc deficiat, & Titius duntaxat, quod sibi vel natum, vel pretio acquisitum, ut ipse haberet, non, ut auctiore pretio accepto, alienaret, vendiderit, tantum de vitando damnō certans, nec Mercatorum, nec Cerevisiariorum ordini incommodo fuisse videtur, arg. l. Nemo damnum. 151. ff. de R. J.

Ratio.

XI. Emere siquidem res uiles, vendere non profuturas, haud particularis, sed communis & Gentium juris est, §. 2. in f. Inst. de f. N. & G. C. l. Ex hoc jure. 5. ff. de f. & f. & l. 1. pr. ff. de contr. empt.

Ulterior.

XII. Quo qui utitur, nemini facit injuriam; & legitimè factum, in crimen non incidit, nec pœnam meretur, l. 55. ff. de f. l. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. 24. §. fin. ff. de damn. inf. & l. 1. §. 12. ff. de aq. & aq. pluv.

Cautio.

XIII. Interim tamen cavere decet (1) Ne, cui ex fundis suis, vel annuis rusticorum pensionibus, frumentum, vinum, & id genus plura suppetunt, hæc, cùm durare queant, distrahendi animo in alias species commutet, dum negotiator, aut illius modi civium ordinis non sit, arg. l. Nobiliores. 3. ibi: Perniciosum uribus. C. de Commerc. & Merc. Berlich. P. 1 Dec. aur. 31. n. 2.

Ratio hujus.

XIV. Facilè enim cœteris, qui communia onera ferunt, hinc exitium, & Mechanicis suæ artis matres penitus interverteretur, Dechen. ad d. l. 3. c. punct. 1. n. 51. it. Tabor. de Jur. Cerev. p. 1. c. 3. §. 7.

XV.



XV. Quod si tamen vel privato, ex singulari uti- Limitatio-  
litatis publicae ratione, vel etiam Universitati ex Prin-  
cipis indultu, aut immemoriali præscriptione acqui-  
situs, ut facere id certò modò possit, aliud est, arg. l.  
Quod semel 5. ff. de Decret. ab Ord. fac. & l. 3. C. d. primipil.  
Köpp. p. 1. d. 59. n. 28.

XVI. Sic & cui corpori concedi potest, ut ex Extensio hujus  
frumento suo, vel etiam coempto aliunde, cerevisiam  
vendibilem coqvat, imo & vinum, aliave exotica ven-  
dat publicè, dum proventus inde officialibus loco fa-  
larii, adeoque utilitatis publicae undecunque subsint  
momenta, sec. Besold. de Aerar. publ. c. 3. n. 6. His enim  
quorumcunq; privatorum emolumenta cedunt, L.  
jubemus vers. Quod & in omnib. C. de Sacros. Eccl. Rauchbar.  
p. 2. qu. 28. n. 46.

XVII. Insuper (2) cavere decet, Ne, qui res em- Cautio 2.  
ptas, vel alio modò comparatas, ut sibi non profutu-  
ras, rursum alienat, hoc lucri studiò fecisse videatur:  
Quod ferè judicandum, si saepius hoc tentaverit, vel  
ex aliis circumstantiis, arg. c. 1. ibi: funiculus triplex. x.  
de Treug. & pac. it. l. 4. §. 1. in fin. ff. de Incend. Ruin. Nauf.  
Wesenb. 4. Conf. 194. n. 15.

XVIII. De cœtero, Mercatorum ordo cum præ- Mercatorum  
clara Reipublicæ afferat emolumenta, & hominum præstantia.  
genus vix sine iis commodè superfit, nullius eminen-  
tiâ Exercitium ejusdem per se judico indignum, arg.  
l. 1. ibi: Si quid ad domum nostram. C. de Commerc. & Mer-  
cat. Conf. Tab. de Jure Cereb. c. 6. n. 5. & 6.

XIX. Hinc & Principes summiq; gentium Mo- lis & Princi-  
deratores mercibus aliunde advehendis, transmitten-  
dis, divendendis, quæstûs, ergò, occupatos fuisse, ho-  
dieq;

24 CAP. II. DE CAUSA EFFICIENTE  
dieq; adhuc passim esse, quis neget. Vid. Klock. *de Æ-*  
*rar. lib. 2. c. 25. n. 21. &c. seqq.*

Occupatio.

An nobiles  
prohibiti.

Quidam pro-  
hibiti.

XX. Aliquos quidem inde aversatos esse, non  
ignoro, sed potius quod censerent, commercium su-  
um aliis perniciosum futurum, quam sibi vel dignita-  
ti suæ ex se dedecorosum. Quo & referas, licet, illud  
Theodosii Imperatoris Orientis, qui Theodoram,  
conjugem suam, navì mercatoriâ, ejus jussu, in por-  
tum Regiæ Constantinopolitanæ, devectâ, objurgatus  
fetur, & vehementer indignatus, verb. *Cum Deus me*  
*Imperatorem facere dignatus, tu Mercatorem facere me*  
*contendis?* Scito autem, Mercaturam privatis hominibus  
esse attributam, ut eam toleranda vita occasionem habeant.  
Quod si nos, præter Imperii opes, etiam Mercatura emolu-  
menta intercipiemus, undenam subditi vicum sibi compa-  
rabunt. Zonar. Hist. Aug. Tom. 4. in Theophil.

XXI. Certò de Jure Justinianeo, nullibi Merca-  
turam nobilibus, aliisq; honorum jure conspicuis, ab-  
solutè prohibitam esse, sustineo, quamvis plurimi  
Constitutionem Impp. Honorii & Theodosii in 1. No-  
biliaribus. 3. C. de comm. & Mercat. illuc, sed perperam  
satis, & contra mentem eorum genuinam, torqueant,  
ut inter alios jam deduxit Tab. supr. d. tr. de Jur. Cere-  
vis. cap. 6. n. 5.

XXII. Interim aliquos moribus, aliquos speciali jure  
hinc arceri, facile largior, ut sunt Clerici, tt. X. Ne Cler.  
vel Mon. sec. negot. & in specie Camerales per O. C. p. 1.  
Tit. 6. pr. ubi præceptum, daß Rammer-Richter und  
Beysizere aller Geschäfte / Kauff- und anderer Händel  
gänzlich sich enthalten sollen etc. Facit hoc & Rec. Imp. no-  
viss. de A. 1654. §. Hingegen aber 42. verb. Beneben gleich-  
wohl sie/die Cammer-Gerichts-Verwandte sich auch keiner  
Wirth.



## MANTISSA.

### I.

**V**endor, Emptore ante contractum emptionis & venditionis fugam praecogitante, in mercibus adhuc penes Emptorem extantibus ceteris Creditoribus preferendus est; etiam si merces à venditore tradita, & fides de pretio sit habita.

### II.

**Q**ui sciens merces alienas ab hoste captas, & inter presidio jam 24. horas relatas sibi comparaverit, ad earum restitutio- nem neutiquam est compellendus.

### III.

**S**i quidam à Piratis vel Latronibus merces alienas captas emit; Quantumvis hoc compertum atq; exploratum habeat, tamen absq; ullo pretio ad eas restituendas cogi non poterit.

### IV.

**C**um pretiosa vestimenta vendita, post perfectam emptionem, sed ante traditionem incendio vel alio casu fortuito absq; Venditoris dolo vel culpa perierint, periculum ad Emptorem non vero Venditorem spectat.

### V.

**E**mptor, qui Gemmas & preciosos lapillos emit, sed eos non accepit, paenitentia ductus non poterit altero invitò à contractu consummato recedere, etiam si arrhas perdere offerat.

### VI.

**V**endor juratò spondens, se Contractui nullatenus contraventurum esse, non gaudet beneficio L.2.C. de Rescind. Vendit.

### VII. Te-

VII.

Testator universarum rerum usumfructum legans, non ea-  
rum rerum usumfructum testamento reliquise censendus est,  
quas venales habuit.

VIII.


Statutum prohibens Frumentum in aliquem locum expor-  
sari, non extendendum ad eum, qui in illum locum id adve-  
bit, ut alio transferat.

IX.

Idem Statutum, quod de frumento non exportando dispo-  
nit, ad Farinam quoq; est porrigendum.

X.

Quilibet Privatus ornamentorum eorum, que solis Princi-  
pibus Regibusq; competit, hodienum habet commercium.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-535689-p0029-7

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-535689-p0030-9

DFG





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Centimetres  
Inches

3  
2  
1  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

M INAUGURALEM  
**IBUS<sup>24.</sup>**  
NTIBUS, 1689, 14  
v.  
**Rahren/**  
GRATIA,  
UM ORDINIS,  
M ACADEMIA,  
ABILI,  
ODIO, JCto,  
NIANEI PROFES-  
BERRIMO,  
DEVENERANDO,  
RE HONORIBUS  
,  
ante- & Pomeridianis  
CTORUM  
i fistit  
**GREBENITZ,**  
nic.  
am,  
**ZEITLERI.**

